PROGRAMMA

Quo

RECTOR

VNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS

JOANNES BAC-
MEISTERUS, D.

Med. & Sup. Math. Prof. P.

Ad

FESTUM
PENTE-
COSTES,

SANCTO SPIRITUI SACRUM,

Sobriè ac piâ cum devotione

celebrandum,

Omnes Academiæ Cives ſeriò commonefacit.

ROSTOCHII, Typis JOHANNIS KILII, Univerſitatis Typogr.

SAlvatorem noſtrum JESUM CHRISTUM in plenitudine temporum verè ex Virgine Mariâ Viri experte natum, verè paſſum, mortuum, ſepultumque eſſe, ac tertiâ die verè è mortuis reſurrexiſſe, nec non tandem deſtructâ atq; direptâ omni omnium Generis Humani hoſtium, Satanæ, Peccati, Mortis ac Inferni vi potentiaq;, die â reſurrectione quadrageſimâ glorioſum egiſſe triumphum εἰς τὸν οὐρανὸν ἀναληφθεὶς καὶ ἀναβείνων, coram magno Eccleſiæ ejus temporis agmine, ac inter Angelorum omniumque Beatorum plauſus, ſeque verè ad dextram Patris collocaſſe, recturus & defenſurus nos, apudque æternum Patrem perpetuò pro nobis interpellaturus, ac largiſſima dona in nos effuſurus; tum Prophetarum pulcherrima Oracula, tum Novi fœderis Scriptores abundè ſatis teſtantur. Cum autem ipſis Feriis CHRISTI Natalitiis æterni Patris erga miſerum Genus Humanum miſericordia atque clementia ineffabilis in miſſo divinitus & incarnato, quem *hodiè*, ut cum Pſalmographo Regio loquar, h. e. ab æterno genuerat, Filio, exhibita Eccleſiæ nota reddatur: Paſchatos etiam Feſto Filii æterni Patris θεανθρώπου μεσίτου καὶ ἱκέτου ἡμῶν glorioſa ex mortuis reſurrectio propagetur, ac magno cum jubilo celebretur: omnino neceſſum erit, ut in præſens, ubi Orthodoxa Novi Teſtamenti Eccleſia Feſtum illud Pentecoſtes, quod Veteris fœderis Feſto promulgatæ Legis planè correſpondere vel ipſum temporis nomen evincit, ſolemne habet, glorioſam Salvatoris noſtri in cœlos Aſcenſionem, indeque promanantem fructum admirandæ ſcilicet effuſionis SPIRITUS SANCTI ſuper Apoſtolos recolamus, atq; pro beneficiis hoc Triumpho in nos collatis Deo πλουσίῳ ὄντι ἐν ἐλέει τῷ πατρὶ τῶν οἰκτιρμῶν devotas agamus gratias. Opus enim hoc tale eſt ac tantum, ut nec Ratio humana illud comprehendere, nec ulla hominis lingua pro dignitate enarrare poſſit. Miſſio ſiquidem SPIRITUS SANCTI omnium divinorum operum, omnium CHRISTI beneficiorum, & omnium denique Spiritualium gratiarum finis atque origo. Per hunc namque Spiritum DEUS omnia facit in omnibus, omnia producit, generat, fovet, auget & vivificat, ac imprimis ſalutis noſtræ opus abſolvit; nec ſine hoc Spiritu Chriſtum diligere, nec

mandata

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE
S8700(13)

mandata ejus ſervare, ſecundum Auguſtinum, poſſumus. Nunquam vero ὁ παράκλητος ad nos veniſſet, niſi CHRISTUS in Cœlum primum emigraſſet, teſte Joan. Evangel. cap. 16. ubi, *Expedit*, inquit, *Vobis, ut ego vadam Si enim ego non abiero, Paracletus non veniet ad vos; ſi autem abiero, mittam eum ad vos.* & Actor. 2. *Dextera Dei exaltatus effudit hunc, quem nunc vos videtis & auditis.* Iccirco etiam cum jubilo & maxima pompa aſcendere in altum, & captivitatem captivam ducere, donaque in homines accipere, uti Vates ait Regius, voluit, imo ex arcano Omnipotentis Patris conſilio debuit, quo omnia Prophetarum pronunciata atque Oracula adimplerentur. Pompam autem ipſam glorioſæ illius evectionis tum Regius propheta David divini Spiritus afflatu pſalmo 24. pulcherrimo quodam Dialogiſmo expreſſit, ut quaſi hujus lætiſſimi triumphi αὐτόπτης fuiſſet, quem Poetarum noſtri ſeculi non infimus Buchananus hunc in modum vertit.

Eja aditus reſerate, fores age panditæ portæ,
Portæ perennes ſempiternæ regiæ:
Clauſtra revellite, limina pandite, magnus ut intret
Rex ille, multa clarus ille gloria.
Quis novus hic ſanctus ſuccedit ſedibus hoſpes?
Quis ille multa eſt inclytus Rex gloria?
Ille potens armis numeroſoque agmine ductor,
Hic ille multa eſt inclytus Rex gloria.

tum ipſe Gentium Doctor Paulus clariſſimis verbis proponit, quando ad Coloſſenſ. ita loquitur c. 2. *Nos ſimul vivificavit cum Chriſto, omnia nobis delicta condonans, deleto, quod adverſum nos erat,* χειρογράφῳ, *quod erat contrarium nobis per decreta, & illud ſuſtulit è medio affixum Cruci,* ἀπεκδυσάμενος τὰς ἀρχὰς καὶ τὰς ἐξουσίας ἐδειγμάτισεν ἐν παῤῥησίᾳ, θριαμβεύσας αὐτοὺς ἐν αὐτῷ, h. e. *Exutos, deſpoliatos principatus & poteſtates oſtentavit palam, triumphans de illis per ſemetipſum;* deſumpta ſimilitudine ab uſitato Romanis Victoribus triumpho, prout illum Dio Caſſius, Blondus Flav., Alexander ab Alexandro, Titus Livius, Plutarchus, aliique Hiſtorici Romani prolixè ſatis deſcripſere, quo brevitatis ergo Lectorem remittimus. Victor enim CHRISTUS JESUS huncce ſolemnem Aſcenſionis Triumphum agere deſiderans, non

ſanè totius Trinitatis injuſſu, ſed ejus conſenſu, conſilio, & decreto inſtituit; quippe etiam hoc ſpectaculo Majeſtas divina omnes res geſtas à Chriſto in carne approbat, ut nos de ſalute noſtrâ ſimus eò certiores. Aſcendens itaq; Chriſtus in altum h. e. rebus in terrâ feliciter confectis hoſtibusq; deſpoliatis, in regnum abiens cœleſte & ad Patrem revertens, Currui triumphali inſidet, atq; per immenſum & ſpacioſum aëra in ſublimè propriâ virtute & poteſtate ſubvehitur ad æterni Patris dextram. Ante Currum præcedit magnum Angelorum, Patriarcharum, Prophetarum & aliorum Eccleſiæ doctorum agmen, ferens ſpolia exutis & debellatis hoſtibus erepta, inter quæ eſt Chirographum Legis contra nos ſcriptum, quod Chriſtus cruci affixum, ſuo ſanguine delevit: & Picturæ Satanæ poteſtatis ejusq; inſidiarum, quibus cum Chriſto humani generis Liberatore potentiſſimo pugnabat: quibus armis Chriſtus eum privavit atque exuit, poteſtates traduxit confidenter, autore Paulo. Proxime ante Currum ducuntur captivi hoſtes ſqualidiſſimis amicti veſtibus, Diabolus infernalis ille Draco, Homines ipſi, quos Dei inimicos h. e. à Deo abalienatos Satanæ vi ac inſidiis Apoſtolus vocat; abominabile item Peccatum, Mors lurida pallidaque, ac tandem Infernus ipſe. Duxit autem Homines Salvator captivos in Triumpho pileatos h. e. à Diabolo redemptos, ut erepti ex Diabolorum, Orci & Mortis faucibus redderetur eis vita & libertas, ſicut inquit Paulus; *Vivificavit nos, omnia delicta nobis condonans.* Hoſtes quidem cœteros ita captivos duxit, ut catenis ferreis vincti, ad ſupplicium exitiumque ſemper duraturum detinerentur. Poſt Currum Triumphalem ſequitur pia humani generis multitudo, quæ cum Chriſto reſurrexit. Hoc Angelorum Patriarcharum, Prophetarum, Doctorum & aliorum piorum agmen læta voce gratoq; animo Carmen triumphale canit Victori Chriſto. Hi celebrant ingentia ipſius beneficia, fortitudinem, potentiam, munificentiam, liberalitatē, clementiam. Huic Victori in Cœlum aſcendenti obviam procedunt tota Divina Majeſtas, Angelorum Chorus & omnes ſancti beatique, qui cum DEO vivunt, quiq; omnes de ſalutis humanæ reparatione & reſtitutione gaudent? Quis hominum Oratione unquam exornare aut eloqui poteſt, quam ingens gaudium, quam magna voluptas, quam ſvavis dedelectatio æterni Patris & Spiritus Sancti fuerit, unà cum Angelorum univerſo agmine? Poſtremo omnium Victor noſter JESUS CHRISTUS etiam dona diſtribuit & largitur Hominibus, confecto jam bello

& per-

& peracto *feliciter* triumpho. Quæ diſtributio donorum quinquageſimo à læto ac glorioſo Chriſti ex mortuis in Vitam reditu Hieroſolymis Judææ Metropoli felici ſatis eventu quamvis inſueto planeq; admirando modo initio Novi fœderis peracta eſt. Filius nāq; Dei CHRISTUS θεάνθρωπος, Servator ac Interpellator generis humani, ad æternam DEI Patris omnipotentis dextram ſedens, à Patre ſuo SPIRITUM SANCTUM, quemadmodum diſceſſurus promiſerat, hodiè inſtar Venti ex alto ruentis, viſibili linguarum diſſectarum ignearum ſpecie non ſuper paucos quosdam Patriarchas & Prophetas, nec modicè & obſcurè, ut olim ſub Veteri Teſtamento, ſed intimis Cœli penetralibus reſeratis & latiſſimè apertis, ingenti copiâ, maximàque ubertate, illuſtri multisque teſtium myriadibus conſpicuo miraculo, ſuper duodecim Apoſtolos totamque Apoſtolorum Eccleſiam atque adeo ſuper omnem carnem, juxta Joelis prophetiam effudit, ita quidem, ut huic per Spiritum datus ſit ſermo ſapientiæ; alii ſermo ſcientiæ ſecundum eundem Spiritum: alteri fides in eodem Spiritu: alii dona ſanitatum in eodem ſpiritu: Alii operationes virtutum: alii prophetiæ: alii diſcretiones ſpirituum: alteri genera linguarum: alii denique interpretatio linguarum, prout hæc omnia curatè ſatis electum illud DEI vas Paulus in Epiſt. 1. ad Corinth. c. 12. annotavit. O felicem Aſcenſionem, quæ tantum bonorum ac donorum nobis cumulum ex alto demiſit! Mundus, qui nunc *veritatis* Spiritum accipere nequit, dona hæc usque adeò ſuſpicit, imò *alto* ſupercilio deſpicit; Noſtrum vero, queis de meliore luto finxit præcordia Titan! ne incomparabile hoc atque clementiæ divinæ donumentum ſingulare unquam animis noſtris effluat, ſed æternâ memoriâ inter nos vigeat, noſtrum, inquam, omninò erit, maxima reverentia, ardentique pietatis Zelo ſolemnia hæc Religionis noſtræ ſacra celebrare, & priſcorum gentilium turbæ ac Abiſſinorum, Arabum, Saracenorumq; curam, devotionem & ardorem in adulterinæ religionis ſacris ac feſtis ſolemnibus ritæ inſtituendis imitari, ab iisque exempla capere, quibus nos exemplo eſſe oportebat. Nefas & Capital illi putabant, non defecatâ mente, & animo precibus ac jejunio non emandato, tum & corporis omnibus membris vivo flumine non ablutis, fana ingredi, aut ſoleâ eâdem ſacro delubri pavimento inſiſtere, quâ profana & polluta loca

calcaverunt: nec ſe litaturas arbitrabantur, niſi hoſtiam puram adolentes, & legitimi etiam amoris voluptate heſterna nocte liberi. Imprimis autem, quemadmodum olim, Junonis feſta tùm omnes fœminæ celebrabant, tùm illæ maximè, quas peculiari munere Dea hæc matronas feciſſe credebatur: Ita & horum dierum feſtivitas, quibus SANCTI SPIRITUS in Apoſtolos & omnes pios emiſſi memoria ab Eccleſia recolitur, & inexhauſtæ bonorum divitiæ, quibus nos mundat, memorantur & deprædicantur, tum ab omnibus ſincerè DEUM colentibus, tum à nobis præcipuè, qui Doctores & Diſcentes in Eccleſia & Academia conſtituti, vivam Sancti Spiritus auram & flammam divini caloris quotidiè ſentimus. Ille quippe eſt largitor ſapientiæ, & aureus imber è cœlo deſcendens, qui pectora noſtra ſitientia irrigat, mentes cœleſti rore perluit, ignorantiæ tenebras vivo lumine diſcutit. Ille adhuc hodiè, prout olim Apoſtolis ſermonis & idiomatis omnium ſub Cœlo populorum cognitionem unico momento infudit, linguarum diverſarum intellectum & eloquium nobis largitur, quorum adminiculo ac miniſterio artes honeſtæ & Eccleſiæ ac Reipubl. utiles ac neceſſariæ cognoſcuntur & conſervantur. Vobis itaque, Adoleſcentes humaniſſimi, & optimarum artium ſtudiis dediti, Vobis, inquam, imprimis allaborandum ſedulò, ne juvenili fervore & incogitantiâ Spiritus Sancti munera & exuberantes in vos divitias excutiatis, & voſmet ipſos gratiæ divinæ ſubductos, favore cœleſti reddatis indignos. Date operam, ne Corda Veſtra in templum Spiritus Sancti conſecrata, immundo genio proſtituatis, & delubrum illud divinæ auræ commutetis in fornicem iniquitatis. Poſtulat quidem ipſius Feſti ſancta celebritas gaudium internum, ac dulci quodam motu animos noſtros afficit: & Dii quoque ut à cunctis hilari pietate colantur, Triſtitiam poni per ſua feſta jubent: Sed, ne ſancta hæc & caſta hilaritudo in luxuriem & furorem degeneret, Chriſtiani hominis eſt omnibus viribus anniti. Proinde commeſſationes, helluationes, vociferationes, tumultuationes, digladiationes, & quæ ſunt his affinia dedecoramenta, canibus impuris & ſuibus immundis, quibus ad vomitum & volutabrum redire volupe eſt, relinquite. Porro quæ præ foribus ſunt & jam imminent Nundinæ Veſtri vos officii commone facere poſſunt Juvenes, qui ad mercaturam literarum faciendam Academiam

miam

miam hanc acceſſiſtis & incolitis. Etenim Vita hæc docta & Apollinea foro & nundinis non eſt abſimilis, in quibus tria licet reperire hominum genere, quorum Primum optimum & reliquis præferendum, eorum ſcilicet, qui emendo vendendoque rem augent familiarem & divitias ſibi congerunt: quibus comparari poſſunt Doctores ac Diſcentes in Academia, qui Laboris & induſtriæ ſumptus faciunt, & Sapientiâ animi ſuppellectilem augent, ſibique theſaurum comparant eruditionis. Alterum eſt hominum genus, qui ſpectandi tantum cauſa forum, ingrediuntur, & res novas ac lepidas aut admirantur, aut ſi ſeverè ſunt, irrident: ſibi autem ipſis nihil proſunt, & aliis occupatis ſunt impedimento. Tales ſunt, qui in diem vivunt & otio indulgent, nec ſibi acquirunt proſtantes Eruditionis merces, & aliis præſtinaturis præpedimento ſunt & obſtaculo. Tertium genus perverſiſſimum & nundinarum peſtis illi ſunt, qui fora turbis complent, & clanculum ſurripiunt mercimonia: Quibus æquiparantur, qui Academiæ quietem interturbant, fures precioſiſſimi temporis, Laverniones & depeculatores propriæ ſalutis, quibus una laus eſt, alterius inſidiari fortunis, & iter rumpere ad Virtutis arcem feſtinantibus. Hiſce poſtremis ut quam diſſimillimi ſitis, ſtrenuè operam date, atque ita Vos gerite, ut in hoc Feſto omnia ſint oporata DEO. *Induite*, ſecundum Pauli monitum ad Coloſſenſ. c. *3. ſicut electi DEI ſancti & dilecti Viſcera miſerationis, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, longanimitatem. Supportantes alii alios, & condonantes vobiſmet ipſis, ſi quis adverſum aliquem habet querelam: ſicut & CHRISTUS condonavit nobis, ita & vos. Super omnia autem hæc Charitatem habete, quæ eſt vinculum perfectionis: Et Pax DEI exultet in Cordibus veſtris, in quam vocati eſtis in uno corpore, & grati eſtote.* Tu vero O ter-ſancte Spiritus, Paraclete omnipotens, mœrentium conſolator clementiſſime, *jam Cordium noſtrorum penetralibus potenti illabere virtute, & tenebroſa quæque laris neglecti tabula coruſci luminis fulgore habitator lætifica,* (verba ſunt B. Auguſtini) *tuiq; roris abundantia longæ ariditatis marcentia ſqualore viſitando fœcunda. Saucia interioris hominis arcana tui amoris jaculo, & torpentis medullas jecoris flammis ſalutaribus penetrando ſuccende; Veni jam, Veni benigniſſime dolentis animæ Conſolator, protegens in oportunitatibus, in tribulatione adjutor. Veni mundator ſcelerum, curator vulnerum: Veni forti-*

tudo

tudo fragilium, relevator labentium: Veni humilium Doctor, ſuperborum deſtructor: Veni Orphanorum pius Pater, Viduarum dulcis judex: Veni Spes pauperum, refocillator deficientium: Veni navigantium ſinus, naufragii portus. Veni omnium viventium ſingulare decus, morientium unica ſalus. Veni ſanctiſſime Spiritus, veni & miſerere noſtri, apta nos tibi & condeſcende propitius nobis, ut noſtra tuæ magnitudini exiguitas, roborique tuo noſtra imbecillitas ſecundum multitudinem tuarum complaceat miſerationum, per JESUM CHRISTUM ſalvatorem noſtrum, qui cum Patre vivit & regnat in ſecula ſeculorum Amen.

P.P. Roſtochii ſub ſigillo Rectoratus ipſo Pentecoſtes die, ANNO CIↃ IↃCLXXI.